



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1633.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

visuntur in arcis ejusdem armamentario ,  
perpetua rei adversus Suecos bene, fortiter,  
& feliciter gestæ monumenta.

A N N U S 1633.

**R**ege Gustavo è medio sublato dictatu-  
ram inter Suecos in Germaniã exer-  
cere incipit Alexius Ochsensternius. Gu-  
stavo Hornio attributa Suevia, Brisgavia &  
Alsatia. Weinmario Franconia cum Bava-  
ria , Duci Lüneburgico Saxonia inferior ,  
Baudusio Visurgis cum Rheno; Silesia Arn-  
hemio.

Hornius expugnat Kauffburam & Min-  
delhemium. Sed frustra oppugnat Villin-  
gam, & Constantiam.

Aldringerus è contra Dux Cæsareo-Boi-  
cus recuperat Landsbergam, Memmingam  
ad ultroneam deditonem adigit; Campi-  
dunum verò ausum resistere post tres insul-  
tus vi subigit.

Weinmarius frustrâ egregiè resistente  
Joanne Werthio redigit in potestatem Sue-  
corum Neoburgum, Straubingam & Ra-  
tisbonam.

Per id tempus graviter periclitatum In-  
golstadium clancularia conspiratione cum  
Suecis, Joannis Philippi Cratzii Comitæ  
Schar-

Scharpffensteinii urbis Præfecti, quam deinde securi percussus Viennæ 1635 sanguine luere coactus fuit.

Alsatia propè universa relicta est præda Hornio & Birckenfeldio culpa & cunctatione Aldringeri, qui causatus imperium Fridlandi pertinaciter detrectavit confligere cum hoste, quod ad servandam provinciã erat necessarium. Servatum tamen Brisacum, Rheinfelda non sine sanguine expugnata, & tres reliquæ civitates Sylvaticæ per ultroneam deditioem occupatæ.

In Saxonia inferiore omnia hoc anno adversa Cæsarianis; Cronsfeldius, qui cum summo Imperio Copiis præfuit; repetitis cladibus attritus, amissâ Hameliã cum aliis nobilissimis civitatibus vix habuit, quò laceras exercitûs reliquias reciperet.

Felicior fuit Fridlandus, qui cum exercitu 50000. è Bohemiã in Silesiam progressus intra breve tempus cæsis sæpe Suecis, occupata Goltbergâ, Sagano, Grossâ, Gloggoviã, Lignizio, Francofurto ad Oderam, imò ipsa Marchia Brandenburgicâ, & Pomeraniã ferè universa, victorias ad Balthicum usque mare promovit, in hoc uno culpandus, quod tot hostium victor se unum vince-

vincere non potuerit, jam tum sequiora  
contra Cæsarem meditatus.

Uladislaus novus Rex Poloniæ susceptis  
Regni insignibus primordia regnandi insi-  
gni de Moscovitis reportatâ victoriâ, & so-  
luta Smolenski obsidione nobilitavit.

In Suecia Christina Regis Gustavi filia,  
legitima ipsius hæres fuit renuntiata.

In Italia Hyacinthus Centinus nepos Car-  
dinalis Centigi Ascolitani veneficiis necro-  
manticis molitur necem Urbano VIII. at  
scelere patefacto securi percutitur, sceleris  
complicibus vel combustis, vel triremibus  
aut carceri perpetuo mancipatis.

*ANNUUS 1634.*

**P**rimordia hujus anni funestavit interitus  
Wallensteinii Ducis Fridlandiæ, qui ob  
ambitum coronæ Bohemicæ & clandesti-  
nam cum Suecis consiliorum communica-  
tionem jussus fuit à Cæsare vel vinciri vel  
occidi; diem habuit fatalem Egræ 26. Fe-  
bruarii. Necem executi sunt tres Scoti Les-  
sæus, Gordonus & Buttlerus, Duces belli,  
per Devoruxium natione Hybernum, à cu-  
jus dextra Fridlandus in cubiculo solo re-  
ctus indusio, mutusque per pectoris medi-  
um ferrum in viscera recepit, & mox ani-  
mam